





II, 31. 6.

51-6

E

Sc  
ex

S U  
S

L  
Sen  
Pri  
DN  
die  
sibu

51-6



6  
EPISTOLÆ  
SECUNDÆ  
AMICI AD AMICUM

à  
Scriptore quodam Danico  
exaratae & sub ipsis Kalendis  
Febr. A. O. R. 1679. in Lucem  
editæ

SUBITARIA QUIDEM  
SED SOLIDA CONFUTATIO

Qua *Reuprecht.*

*Literæ memoriales, nomine  
Serenissimi Anhaltino-Servestani  
Principis, Illustribus & Excellentissimis  
DN. Legatis Mediatoribus Neo-Magæ  
die 22. Decembr. 1678. exhibitæ à mor-  
sibus istius Autoris, præclarè vindicantur,  
& Jura Anhaltina perspicuè  
sistuntur*

Bremâ - Neomagum.

---

ANNO M DC LXXIX.





om  
git  
fer  
vel  
ube  
ob  
dul  
had  
mu  
pod  
non  
ber  
vie  
un  
vp





## JESU JUVA!

**A**D indubitatum  
 erga me amorem  
 interpretor, Amice  
 suavissime, quod  
 omnia ea, quæ Neomagi jam a-  
 gitantur, fidei ad me opera re-  
 ferre non tantum, sed & in uno  
 vel altero articulo edoceri Te  
 uberius, benevolè expetis. De  
 obsequio meo non est, quod  
 dubites. Amicitia enim, quam  
 hæctenus intemeratam colui-  
 mus, leges eo nomine fatis Te  
 poterunt reddere securum, &  
 nosti abundè, fortunæ me de-  
 bere beneficium, quoties inter-  
 viendi Tibi occasio se dat ad ma-  
 num. Plura eqvidem sunt,  
 quæ modo ad me perscripsisti;



omnia vero ea decurrere & ex-  
cutere ex affe nec vacat in præ-  
sens, nec attinet. Sumam ita-  
que solam Servestano - Anhal-  
tinorum Serenissimorum juxta,  
ac vetustissimorum in Imperio  
Principum litem, quæ cum Po-  
tentissimo Danorum Rege ha-  
ctenus Iphis intercessit, ac ejus-  
dem momenta paucis percense-  
bo. Et verò cum iidem deside-  
ria sua Splendidissimis Legatis  
pacis pangendæ causâ Neoma-  
gi degentibus literis memoria-  
libus explicuerint, hos id indi-  
gnè tulisse, & Epistola quadam,  
quam secundam Amici ad Ami-  
cum inscripserunt, illas confu-  
tare fategisse, ex exemplari à Te  
mecum communicato prolixius  
perspexi.

Abest hoc Danorum scri-  
ptum propè à Satyrico, & hinc  
occultâsse Autorem nomen  
suum



suum, non est quod Te mirari  
 habeat. Nam hac ratione justis-  
 simas ille poenas, quas Justinia-  
 nea Sanctiones & Imperii Le-  
 ges in ejusmodi maledicos  
 Principalis existimationis vio-  
 latores statuerunt, effugere se  
 posse animum fortè induxit.  
 Sed verò eo ipso causæ injustiti-  
 am oppido prodidit. Est enim  
 ferè solenne hodiè scriptoribus,  
 ut, cum momentis thematis sui  
 se destitui animadvertunt,  
 malè loquantur etiam optimis  
 eosque immanissimis calumniis,  
 profcindant: Quas tamen ita  
 callidè tempore didicerunt, ut  
 eadem venustatem quandam  
 sapiant. Quo sapius fit, ut o-  
 stentata ingenii vis & verborum  
 elegantia argumentum, quod  
 tractant, commendent, & a-  
 liunde assensum istud quæ-  
 dam, ex indolis similitudine  
 apud

scri-  
 hinc  
 omen  
 suum





apud nonnullos nanciscatur: licet ponderis in se habeat parum vel planè nihil. Eandem, quidem scenam Danicus Scriptor ludere, animo proposuit, sed infeliciter fatis. Calumniæ enim plus, quàm falis Epistolæ ipsius subest: cum ab illâ tamen eò magis abstinere debuisset, quò minus quippiam injuriæ vel maledictorum in Danicam gentem, in libello isto memoriali potuit ostendere. Autor ipse equidem non diffiteri valet Anhaltinorum hac parte modestiam, cur ergò tam inverecundè respondit? cur ludum ac jocum de rebus tam arduis facere non erubuit? In conventibus planè publicis, quales jam Neomagi, pacis in eundæ causâ, instituti sunt, proferre & conqueri decenter, quæ belli occasione emerferunt,



runt, mala, & licitum abs se  
 & peroportunum est. Nam &  
 damnorum ejusmodi restitu-  
 tiones pacis conditionibus com-  
 prehendi solent. Sed verò i-  
 pfius quietis publicæ restauran-  
 dæ ardua, ludicro aliquo & jo-  
 cularibus scriptiunculis inter-  
 findere, nefas meritò ducitur.  
 Nam inveteratus Platoniorum  
 mos, sub ludicri argumenti  
 specie, gravissimarum etiam re-  
 rum explicantium doctrinas,  
 sapit Scholas & ad artem Dra-  
 maticam pertinet, in gravissi-  
 marum discussione rerum nu-  
 spiam gentium receptus, nec  
 unquam nedum in isto splendi-  
 dissimo mundi theatro temerè  
 admittendus. Nec melior con-  
 sili ratio est quæ æqvissima,  
 Anhaltinorum postulata, solo  
 vindicanda contemptu inde-  
 que responsione vix digna ju-  
 di-



dicantur. Nimis altum istud  
 Scriptoris supercilium est & in-  
 solens maxime. Neque enim  
 Danorum Jura adversus An-  
 haltinos in vado sunt vel un-  
 quam liquida facta ; ut omni  
 Illi responsione superfedere  
 possint. Fallor , aut illa con-  
 temptus species potentia ful-  
 cro nititur , cui si cedere de-  
 beant omnia , euge ! brevi Re-  
 rum publicarum dissipationem  
 & confusum tandem chaos u-  
 biqve videbis. Cogites quæso  
 & apud animum statuas Tibi  
 privatos homines. Fac unum  
 alterum injuria affecisse & exi-  
 mia eidem damna dedisse , an-  
 ne conventus eo nomine , de-  
 spicatus læsum habendo , satis-  
 factionem evitabit ? Minime  
 gentium. Jam quod inter  
 privatos nullo modo justum  
 est , id nec inter Reges Prin-  
 cipes



cipesque tutò probabitur. Singulorum enim hominum securitatem ipsius juris naturalis scita muniverunt, eorum verò tenorem sapientissimus DEUS ad Respubl. deinceps porrexit, adeò, ut illud, quod inter singulos homines justum, inter gentes earumque capita etiam, prævalere debeat. Taceo, ad indicium malæ causæ esse, si quis provocatus tutari se vel respondere recuset. Interim, non ventilabo hæc talia uberius, sed ipsius causæ adyta illico ingrediar. Ut verò eò facilius rem omnem capere & penetrare valeas, eandem ab ovo, quod dici vulgò solet, fideli curâ repetam.

Accidit mense Julio lapsi 1675. anni præter spem atque opinionem omnem, ut turmæ quatuor, & quod excessit peditum exerci-

istud  
& in-  
enim  
An-  
l un-  
omni  
edere  
con-  
e ful-  
e de-  
vi Re-  
onem  
os u-  
quæfo  
Tibi  
num,  
& exi-  
e, an-  
e, de-  
fatis-  
linime  
inter,  
stum,  
Prin-  
cipes



ercitu Danico, non admissæ, in  
 ditionem Jeverensem irruerent.  
 Tum verò restitere quidem An-  
 haltino-Servestanæ Domus mi-  
 nistri, ac terram istam & jure hæ-  
 reditario & ex testamenti tabu-  
 lis ad Dominos suos pertinen-  
 tem, ipsis invitis & insciis, con-  
 tra divini humaniqve juris fœ-  
 dera, militaribus cõpiis opprimi,  
 peracutè qvesti sunt. Sed Sur-  
 dis narrabatur fabula, Instabat  
 miles & fremebat, inde iterum,  
 non discessurus, donec indictum  
 in singulos menses 4000. talero-  
 rum tributum Regi suo fuisset  
 promissum. Deprecantibus tan-  
 tam inhospitationis molestiam,  
 tantam pecuniæ summam mi-  
 nistris Anhaltinis, majorem ma-  
 num mox advolaturam, idem,  
 audacter interminabatur. Illis  
 ergò nihil consilii erat reliquum,  
 quàm vehementiæ mali, quod  
 atce-



arcere non valebant submittere cervices. Subditi enim hospitiationum molestias pertæsi de exactio-  
 num gravitate magno-  
 perè querebantur, & celeriore  
 efflagitabant opem. In arenâ  
 hinc ministri consilium à præ-  
 senti necessitate repetere, & quæ  
 hæc cogebat, non quæ ipsi o-  
 ptassent, sequi tenebantur. Nec  
 mora, res omnis delata ad Prin-  
 cipes serenissimos Anhaltino-  
 Servestanos inopinatos & in-  
 scios planè turbationis istius.  
 Tum verò illi quendam prima-  
 riæ suæ nobilitatis Virum ad  
 Potentissimum Danorum Re-  
 gem, declinando tanto jugo  
 Rendesburgum ablegare de pro-  
 perarunt. Quæ quidem expe-  
 ditio effecit, ut summa men-  
 struæ pensionis 1000. taleris,  
 testantibus literis Regiis, fuerit  
 deminuata. Alterà autem vice,  
 A 6. quâ,



quæ , ut levaretur intolerabile istud onus , propter sumptus potissimum immensos in aggerum refectionem , præcipitante autumno impendendos , humillimè eodem anno missus petiit Nuncius Anhaltinus , impetravit planè nihil. Quin potius haut paulò post aggravata admodum contributionum molestia fuit. Nam & patrimonialibus , quæ vulgò dicunt , istorum Principum bonis , in Budjadiâ sitis , & ex hereditate illustrissimi Comitis Antonii Güntheri ad ipsos profectis , hætenus à primâ sui origine planè immunibus , censum permagnum Danici in Oldenburgico Comitatu agentes ministri imposuerunt , Privilegio à D. Friderico III. Danorum Rege (a)

eo

(a) Vid. Literas promissionis dicti D. Friderici 3. de Anno 1659. & Testam. ultimi Com. Anth. Günth. p. 2 mem. §. 38.



eo nomine abundantissimè concesso, planè insuper habito. Deprecatus hanc novitatem sibi maximè noxiam optimus Princeps Anhaltino - Servestanus natus major (quem propter quendam regiminis prærogativam sæpius solum nominabo) quodam ex suis Hassniam ablegato; Sed nec ipse reliquis felicior, præter literas regiae gratiæ plenas nihil quicquam reportavit. Putasses tamen forte finem tum positum turbis istis; Verum vix acceptæ istæ literæ solatii aliquid dederant, en! Anhaltinorum Sors multò fuit aggravata. Oldenburgici enim Comitatus Præfecti ulterius porrigere manus, missis equitibus, integros Telonii Visurgici, cujus pars tertia ad Domum Anhaltinam spectat, redditus occupare, & communi por-

bile  
otus  
ge-  
ante  
hu-  
pe-  
im-  
po-  
vata  
mo-  
mo-  
ant,  
, in  
itate  
onii  
s, ha-  
pla-  
rma-  
rgico  
i im-  
Fri-  
e (a)  
eo  
icti D.  
m. ul-  
7. 5. 38.



portitori jurato , ne quā Anhaltinis ex vectigali pecunia, quicquam impofterum solveret, feverè interdicere. Ita D. Antonii Güntheri poftermi Comit̃s Oldenburg. voluntas ultima & enixa deſtituta , ita transactionis Oldenburgi Anno 1669. in itæ ſepta perrupta , & quieta adeò iſtius vectigalis recipiendi poſſeſſio admodum turbata. Incidebat hæc tempeſtas in ipſius Sereniſſ. Princip. Anhaltini natu majoris nuptialem feſtivitatem ejusque ſerena non parum obfuſcabat. Iſta verò peractâ alter ex Sereniſſ. Anhalt. Principibus ſuſcipere iter & aulam Danicam petere conſtituit, certâ ſpe fretus , fore , ut mitiora iſta precibus & rationibus comota capeſſeret conſilia. Aſt ſtabat ſententia & occluſis æque ad remittendum tributum, quàm



quàm restituendos vectigalium  
 reditus auribus, nihil solatii emi-  
 cabat. Labore & sumptibus  
 inutiliter quamvis ita factis &  
 ipsis precibus negatis, non-  
 dum tamen singularem erga  
 Potentiss. Danorum Regem re-  
 verentiam evanescere sinebat,  
 Anhaltinus Princeps; Sed ite-  
 rum literis observantissimè con-  
 ceptis, ad Eundem Ministrum  
 misit Hassniam & priores pre-  
 ces repetiit, sed conatu Pariter  
 frustraneo. Adeò nec verba,  
 optima, nec literæ & sollicitatio-  
 nes crebræ flectere Regis ani-  
 mum & clementiam ejusdem,  
 conciliare valuerunt. Inter hæc  
 Jeverensem ditionem cum pe-  
 ditibus, tum eqvestribus co-  
 piis implet Episcopus Mona-  
 steriensis, non ita pridem piè  
 defunctus. Graves inde sub-  
 ditis hospitationes, tributis ve-  
 teris

An-  
 ia,  
 ret,  
 An-  
 mi-  
 lti-  
 ns-  
 69.  
 eta  
 en-  
 ta.  
 si-  
 lti-  
 fe-  
 n,  
 erò  
 alt.  
 au-  
 it,  
 ora  
 m-  
 Ast  
 x-  
 m,  
 am





teris continuatio, frequens idem-  
 que maximè nocivus militum  
 transitus. Nec deerat infesta-  
 tioni prætextus. Hyberna sci-  
 licet sibi istic loci à Rege Daniae  
 esse cessa. Multiformibus hi-  
 sce malis fatigatus Princeps  
 nihil sibi post DEum præsidii  
 reliquum facile deprehendebat,  
 quàm quod in S. Cæsar. Maje-  
 statis ope poneretur. Sine ul-  
 teriori igitur morâ supplicibus  
 precibus eandem humillimè in-  
 auxilium compellare, secum  
 constituit. Tributorum con-  
 tinuatæ exactiones, crebræ in-  
 vasiones, telonii intercepta Vi-  
 surgici rata & Jeverensis terræ  
 exhaustæ vires Inviçtissimo Cæ-  
 sari à dimisso Viennam Ministro  
 Anhaltino prolixius sisteban-  
 tur. Id quod etiam commovit  
 Imperatorem, ut ad Episco-  
 pum Monasteriensem pro An-  
 hal-



hartinâ Domo, ad ipsum verò  
Principem Anhaltinum clemen-  
tissime, rescripserit. Noli opi-  
nari, Amice perdilecte, hic  
qvædam in favorem Anhaltinæ  
Domus enarrata, qvæ fortè aliter  
sefe habeant.

Crede mihi, qvod omnia fin-  
ceris saltem indiciis retulerim.  
Neqve enim ego, qvod optimè  
scis, Anhaltinus sum, neqve cur  
assenter alicui vel falsis arrepan  
pignoribus, ullam habeo cau-  
sam. Interim illud non dissi-  
mulo, cum & ipse hoc noveris  
fatis, me in Anhaltino-Serve-  
stanâ aulâ versari qvandoqve,  
& inde causæ istius momenta  
abundè satis mihi esse perspe-  
cta. Nam & literarum, qvas me-  
moravi, tenorem & transactio-  
num monumenta ipse vidi, legi,  
& non semel perlustravi. Cæ-  
terum anteqvam ad singula epi-  
stolæ



stolæ Danicæ puncta progre-  
 diar & percurram eadem, fas  
 erit, in antecessum illud ad Te  
 monere, quod multa Autor  
 iste anonymus asserat & tan-  
 quam verissima jactitet, quæ ta-  
 men juris pariter divini ac hu-  
 mani fœderibus, pactio-  
 num fidei & ipsi adeo æquitati egre-  
 giè repugnant. Quod equidem  
 mirandum non est, quoniam  
 Ipse ita scripsit, ac totius cau-  
 sæ & eò spectantium momen-  
 torum esset ignarissimus. Quod  
 si verò simulationis larvâ hic  
 usus, dignissimum se facit, cui  
 credatur nihil. Sed & illud mi-  
 hi in limine noto infelicem  
 istum Epistolographum desi-  
 deria Anhaltina malè & perversè  
 ad privata interpretari grava-  
 mina. Princeps sanè Impe-  
 rii, & ditionis Jeverensis Do-  
 minus, iniquè privati titulo in-  
 signitur.



signitur. Non possident regio-  
 nes privati, non circumstant  
 eos Regalia & Imperium. Qui-  
 bus ornatus Anhaltinus Prin-  
 ceps publicam procul dubio  
 personam sustinet & æqvissima,  
 etiam ejusdem postulata, pu-  
 blicam continent causam. Plus  
 dicam, Vis publica eidem per  
 insperatam copiarum Danica-  
 rum inhospitationem, coa-  
 ctam tributi solutionem, & ut  
 reliqua taceam, Vectigalis Vi-  
 surgici ademptionem facta fuit,  
 num ne hoc publicum grava-  
 men est? Annon de eodem  
 conqveri liceat? Sane si Prin-  
 ceps circa Regalia jura in ter-  
 ritorio suo turbatus non habet  
 puplicam causam, euge! quæ-  
 nam tale nomen merebitur?  
 Erunt scilicet privatae omnes.  
 Absit autem me hic invehî in  
 potentissimum Danorum Re-  
 gem,



gem, quippe cujus Veneratio  
 Sacro Sancta mihi semper fuit,  
 & in posterum erit perpetuo.  
 Saltem quid miles, quid Mini-  
 stri Ejusdem Oldenb. perpetra-  
 verint, candidè ad Te Amicum  
 per quam familiarem referre, &  
 ita desiderio tuo satisfacere ha-  
 bui necesse. Cæterum consen-  
 sum Cæsaris in inhospitatione  
 & exigendis collectis interve-  
 nisse, nullo indicio evicit ani-  
 mosus Scriptor. Sed inferius  
 detraham hoc pallium oppor-  
 tuniùs, & violentia à Danico  
 milite exercita adstabit denu-  
 data. Nec objectæ obliviscar  
 necessitatis publicæ, quæ cerebri-  
 na plane & excogitata est. Lepi-  
 dus verò noster censor est, dum  
 indeciskas de vectigalibus & ne-  
 scio quas, ex hæreditate subor-  
 tas, somniat hic controversias.  
 Circa terram eqvidem Jeveren-  
 sem



sem cum! Potentissimo Daniæ  
 Rege, Domui Anhaltinæ nihil  
 unquam fuit disfidii. Nec ul-  
 lam huic heredes, quos vocant,  
 Feudales, eo nomine move-  
 runt controversiam, ut hinc  
 eandem nec definitam, nec in-  
 decisam appellare liceat. Id  
 potius in proclivi est, vivente  
 adhuc & volente Comite isto  
 Oldenburgico per totum orbem  
 illustri, Antonio Günthero,  
 Magdalenam Sororem suam, &  
 ex Ea prognatum Filium Jo-  
 hannem Anhalt. Principem p.  
 m. possessionem istius ditionis  
 per ministros suos ablegatos  
 decenter apprehendisse. Hic  
 sicut illo defuncto continuavit  
 eandem; ita eodem quoque præ-  
 maturè è vitâ discedente Filii  
 ejusdem Sereniss. jure ipsam  
 suo sibi vindicarunt, occupa-  
 runt, & tanquam veri Domini  
 hæcte.



hactenus clementi Imperio gubernârunt. Nec renuit Investituram, ut cum Feudistis loquar, Jeverensis regionis Bruxellensis Curia, quin per literas desuper confectas, indulgentissimè patefecit, nemine unquam in hisce omnibus contradicente. Nam & ipsum laudati Antonii Güntheri testamentum, in quo Provinciam Jeverensem Servestano - Anhaltinis Principibus, (quippe ad quos & jure hæreditario ipsa spectabat) enixè destinavit, agnovisse Potentissimum Danorum Regem, quem, quæso, nisi negotiorum publicorum ignarissimū latet? Si dicat fortè Scriptor noster incertus, se Budjadiensia Anhaltinorum propria prædia hic innuisse, pariter frustra est. Cerne enim Rendesburgensem, cerne Hamburgensē, cerne Oldenburgen-



genfes cum pientiff. memoria  
 Friderico III. Danorum Rege  
 initas transactiones, (β) (qua-  
 rum exempla propediem Tibi  
 transmittam) & bona illa allo-  
 dialia Comitis illustriffimi fuiſſe,  
 ficque perconſeqvens immuni-  
 tatem iſtorum ab omnibus  
 contributionibus in perpetu-  
 um à Regno Danico promiſ-  
 ſam & ſanctè firmatam, illico  
 deprehendes. Nec deinceps  
 cum aperirentur Teſtamenti Ol-  
 denb. tabulæ, quicquam hac par-  
 te à Danorum Rege monitum,  
 fuit,

(β) *Vid. Rendesb. Transact.  
 de Anno 1649. die 5. Mart. §. 4.  
 Hamburgens. de Anno 1653. die 13.  
 Mart. §. 3. & 14.*

*Oldenburgens. de An. 1653. die  
 1. Jul. §. 1. & de Anno 1669. die  
 18. Julii princ.*



fuit, nequam in disceptationem  
venit.

Pariter Visurgium West-  
gal nunquam ante hac fuit  
controversum. Steterant ha-  
ctenus in indubia communio-  
ne ejusdem cum Danis Anhal-  
tini, & istorum in Oldenb.  
Comitatu degentes Præfecti  
annuatim binis vicibus ad di-  
videndam pecuniam horum,  
Ministros advocaverant, nullâ  
unquam lite desuper motâ; &  
en! Anno 1676. inopinatò  
omnes inde reditus invadere,  
& sibi solis vindicare iidem,  
Dani præsumpserunt. Non-  
ne hoc est vim facere, & quie-  
tos hæctenus possessores con-  
tra jus fasque deturbare? Ni-  
hil igitur reliquum est, quam  
ut exigui puncta momenti de-  
fensor Danicus anceps hic fa-  
tis, quæ quidem potissimum

circa



circa percipiendos ultimi anni  
 fructus & sumptus communes,  
 in cogendos istos vectigalis re-  
 ditus faciendos, inter socios  
 istos inciderunt, intellexerit.  
 Sed & ea jamdudum per Of-  
 denburg. pactionem de Anno  
 1669 supra allegatam compo-  
 sita, & planè abolita fuerunt.  
 Obstinatum ergo sedet & fi-  
 xum manet, nihil hîc de ve-  
 ctigalibus & hereditate reman-  
 sisse litium, nihil quod defini-  
 endum restet, ad manum fuisse  
 dissidii. Falsa utiqve sunt &  
 ficta, quæ hîc allata in me-  
 dium. Poteris jam, Amice,  
 conjunctissime, ipse facile te-  
 cum excogitare, quo jure Re-  
 gi Danorum Potentissim. ab i-  
 stis pactis conventis secedere,  
 licuerit? Successor Regni est,  
 isqve hæreditarius, quem facta  
 antecessorum sanctè servare te-  
 neri,



neri', inter omnes æqvè con-  
venit, & gentium pariter ac  
civilia jura studiosè inculcant  
(γ) Perinde enim æstimatur,  
ac si successor ipse contraxisset:  
Sicut verò inter privatos falle-  
re fidem grave est: Ita potissi-  
mum Reges & Principes in pa-  
ctis suis eandem nobilissimè ad-  
implere debent, quippe qui  
Diis in terris comparantur. Plus  
dicam, Reges ipsi Dii sunt,  
servare ergò suas oportet pa-  
ctiones, quibus & ipsum Nu-  
men

(γ) *Grot. de Jur. B. & P. l.*  
*2. c. 14. §. 10. Reinking. de Re-*  
*gim. secul. & Ecclesiast. lib. 1. Cl.*  
*3. cap. 10. n. 8. Thabor de Oblig.*  
*Success. in Offic. c. 5. n. 21. Habn.*  
*ad Wesemb. tit. de Const. Princ.*  
*n. 2+*



men se obstringi patitur. (δ)  
 Reliqua ex jure Testamenti  
 pendent, quod æquè sanctè cu-  
 stodiendum est. (ε) Neque  
 vel tentandum temere cum pri-  
 mis ab eo, cui maximè fuit  
 fructuosum. Tum verò Scri-  
 ptor noster Danicus, quando  
 totam hanc causam cum ami-  
 cabili ista pacis generalis tra-  
 ctatione nihil habere commer-  
 cii cæco impetu perhibet, ali-  
 vid, monstri oppido alit. Fu-  
 cum enim facere intendit Le-  
 gatis

B 2

(δ) *Vid. Gravett. Consil. 135.  
 num. 5. ubi tradit, quod ipse  
 Deus ex conventionem obligetur.*

(ε) *Vid. L. 1. C. de SS. Eccl.  
 Cap. Ultim. 4. Caus. 13. q. 2.  
 Anton. Gomez, lib. 2, Var. Resol.  
 c. 4. n. 6.*

on-  
 ac  
 ant  
 tur,  
 set:  
 alle-  
 tiffi-  
 pa-  
 ad-  
 qui  
 Plus  
 t,  
 pa-  
 Nu-  
 men

P. l.  
 Re-  
 Cl.  
 blig.  
 abn.  
 rinc.



gatis Excellentissimis pacis cau-  
 sâ Neomagi commorantibus,  
 ac si negotia hæcce Anhaltina  
 ab ipsorum expeditione plane  
 essent aliena. Quâ fini obscuro  
 intrudere, simulare alibi li-  
 tem pendentem, & per pro-  
 bationes veluti adhuc dirimen-  
 dam, callidè studuit. In i-  
 stam procul dubio spem ere-  
 ctus, fore, ut splendidissimi  
 Legati isti in hisce rebus ope-  
 ram suam illicò detrectent. For-  
 tè & svaviter sibi persuasit, i-  
 psos Anhaltinos vexatos satis,  
 & ambagibus hinc inde quæsi-  
 tis fractos, deserturos ex tædio  
 jura sua, quamvis maximè li-  
 quida. Sed facili negotio ex-  
 cutitur hæc larva, & leve imò  
 inane Danorum Regi præbebit  
 adjumentum. Nulli enim  
 sumptus, nulli labores adeò  
 versabunt & fatigabunt An-  
 halti-



haltinos' Principes , ut negli-  
 gant sua ac oscitanter jaētent.  
 Tandem vero ex bonā causā  
 triumphabunt , & omnia ipsis  
 refarcienda erunt damna. Nec  
 vitio iisdem verti potest, quod  
 citius & nec dum fessi in his  
 Pacis operibus ad finem suum  
 pervenire contendant, quā  
 ut alibi ulteriori ambitu circui-  
 tuque , metam demum teneant.  
 Et verò quāsi verim ego ex De-  
 fenfore Danico , ubinam  
 locorum ex sententia ipsius  
 jus suum persequi debeat An-  
 haltino - Servestanus Princeps?  
 Injuriam enim eidem illatam  
 Ipse non diffitetur , dum op-  
 portuna in Anhaltino Memo-  
 riali reperiri adstruit , sed ob-  
 vertit saltem , nescio ob quas  
 controversias eò deventum.  
 Remedia eqvidem amicabilis  
 compositionis & Restitutionis  
 ren-

cau-  
 pus,  
 tina  
 lane  
 scu-  
 di li-  
 pro-  
 nen-  
 In i-  
 ere-  
 ssimi  
 ope-  
 For-  
 it, i-  
 fatis,  
 vāsi-  
 xadio  
 nē li-  
 o ex-  
 imò  
 bebit  
 nim  
 adeò  
 An-  
 halti-





renuit , ut suprà memini , Da-  
 norum Rex potentissimus , &  
 cum ante biennium ad Cæsa-  
 reos & Hispanicos Oratores  
 Splendidissimos querelas de-  
 ferret Princeps , etiam agrè  
 tulit aula illa , ut Hassniæ sub-  
 sistens Secretarius Anhaltinus  
 fuerit infectis inde rebus disce-  
 dere coactus. Nunc in pacis  
 theatro cum recuperare anniti-  
 tur Princeps , quod belli scena  
 sibi abstulit , etiam eundem  
 non audiendum esse , clamitat  
 Danicus Præco. Verùm ,  
 quid hoc aliud est , quàm si sta-  
 tueret ipse , mussitandam inju-  
 riam , quam acceperit idem ,  
 & gratiam adhuc desuper a-  
 gendam. Durior ita condi-  
 tio , quam privatorum , Prin-  
 cipum esset : Illi enim rebus  
 suis excidentes iudices suos ,  
 arbitros suos habent , qui que-  
 relas



relas suas audiant, qui ablata  
 iis restitui faciant. Soli verò  
 Principes adeò inveniusti ac in-  
 felices erunt, ut ferre injurias  
 & ne audiri quidem ullibi de-  
 beant; Ipso Jure naturali op-  
 pidò reclamante. Adeò absur-  
 da sunt, quæ ingessit hic Scri-  
 ptor impudens, & meliora à  
 lippis & tonsoribus facilè ac-  
 cessere potuisset. Neminem  
 enim fugit, Imperatorem invi-  
 ctissimum omnibus Imperii  
 Principibus & Ordinibus fidem  
 fecisse, dirimendi in conventu  
 Neomagensi, quæ haberent i-  
 sti gravamina, Stetit quoque  
 promissis istis Cæsar fidelissimè.  
 Nam & Legatis suis, ut in cu-  
 ram Salutis Anhaltinæ promo-  
 vendæ incumberent diligenter,  
 auspicia præbuit. Ad eandem  
 laudem æmulatione quasi pul-  
 cherrima contendit Magnæ  
 Rex



Rex Britanniaë, & in eadem sollicitudine Legatos suos occupatissimos esse iussit. Causa potissimum iustitiâ eò adductus. Quilibet verò ex hinc conjecturam capere haud difficulter poterit, Anhaltinorum Principum querelas opportuno loco & tempore fuisse allatas. Neque enim ad beligerantium tantum dissidia componenda; sed ad eradicanda futura etiam discordiarum femina, Conventus Neomagenensis coaluit. Parum sunt consilia pacis, si ea, quæ ante pedes sunt, tantummodò complacaveris, nisi etiam turbis futuris validissimus ponatur obex. Unde autem quæso, facilius odia succrescunt, motus fiunt, & bellorum tumultus oriuntur, quam si transactiones, si voluntates ultimæ illustrium



strium in Imperio Ordinum,  
 tententur & juxta habeantur:  
 Præprimis, cum tabulas suas  
 ipsi etiam Imperatori, nonnul-  
 lisque Imperii Principibus, cu-  
 ræ esse anxie voluerit jusserit-  
 que Testator Comes Olden-  
 burgicus. Et quid fieret tan-  
 dem præpotentibus quibusdam  
 in inferiori Saxonia Principi-  
 bus, quorum omnino maxime  
 interest, testamentum istud  
 non violari aut rumpi peni-  
 tus?

Sed oggerat forte ferocu-  
 lus Scriptor, in ultimam ire  
 causæ originem, indagare oc-  
 cultos calles, & abstrusiora  
 exquirere adyta, hoc non me-  
 ditantium pacem esse opus,  
 nec pati Legatorum tempo-  
 ra. Ad judicia ergo relegan-  
 da hæc talia & ibidem dijudi-  
 canda. Verum, supervacanea



ejusmodi inqvisitio in præsen-  
 ti est: Quippe, quam indubi-  
 tata, quam agnita voluntas  
 ultima & pactorum evidentia  
 planè respuunt. Illius stylum  
 liberrimum & sanctè custodi-  
 endum esse laudatissima gen-  
 tium consuetudo, quæ à pri-  
 mæ ferè orbis infantia robur  
 sumpsit & habitum fecit, seve-  
 rè injungit: Hæc divina æ-  
 què ac humana justitia, sepi-  
 mento quasi aliquo vallant fir-  
 mantqve. Atqvi & ipsis si-  
 milium rerum documentis in-  
 vitatus Anhaltino - Servesta-  
 nus Princeps, quod torfit ha-  
 tenus animum & ditionem,  
 suam afflixit miserè, Neomagi  
 candidè exposuit. Videas ta-  
 lia, ut reliqua taceam, in ipsis  
 (§) Westphalicæ Pacificatio-  
 nis

(§) *vid. Instr. Pacif. West-  
 phal. de 30. 1648, art. 14.*



nis Tabulis : Videas ipsam Jeverensem causam Hafniensis Pacis operi (n) præclarè infer-  
tam. Jam quod exemplo fit, id etiam jure fieri, jam olim disertissimus pronuncia-  
vit Cicero. Sed inquit Scriptor Dani-  
cus, præter Anhaltinum alios etiam Princi-  
pes Imperii bellorum rabiem fuisse expertos,  
& indecorum questibus implere omnia. Incidit  
hîc apprimè in mentem Eu-  
stæmonis dictum apud Cur-  
tium, (9) quod querula sit ca-  
lamitas & superba felicitas.

B 6

Er-

(n) Instr. Pac. Hafn. de A. 1666. §. 30.

(9) lib. 5. c. 5.



Ergone ideò toleranda omnia  
 mala , & ad quasvis injurias  
 obmutescendum? Fortunato-  
 rum hæc oracula sunt , qui for-  
 tunam suam , dum de aliena  
 deliberant , in consilio habere  
 solent. Tu verò si hic esses ,  
 aliter sentires. Qui inter fa-  
 crum & saxum stat , auxilium-  
 que undiqvaque advocat; Etsi  
 in uno non inveniatur levamen-  
 tum vulneri , in alio quærit lo-  
 co. Teneri potissimum Prin-  
 cipum animi sunt , & iniqui-  
 tatum dolore eò magis confi-  
 ciuntur , quò magis iisdem  
 exemptos voluit ipsum Numen.  
 Si privatis sua eripiantur , plan-  
 ctibus & ejulationibus aliorum  
 misericordiam expugnare spo-  
 liati indefinenter pergunt.  
 Qui ergo Princeps modum  
 verborum teneat , cujus ditio-  
 ni vis facta , atque non quali-  
 bet



bet illata injuria? Cui interci-  
 pitur, quod capere ipsum o-  
 portet, quod ad se suamque  
 domum principaliter exhiben-  
 dam destinatum ipsi est? Nec  
 insuetum adeò, suppressos in-  
 fortunis aliorum Regum &  
 Principum implorare opem:  
 Cum isti vel ob similitudinem  
 sanguinis, vel exempli metum,  
 efficacissimè succurrere dejectis  
 hactenus consueverint. Ne-  
 que enim, quod adpositè  
 tradit Vellejus Paterculus (1)  
 consistunt exempla, ubi  
 cœperunt, sed quamli-  
 bet in tenuem recepta  
 tramitem, latissime eva-  
 gandi sibi viam faciunt,  
 ubi

(1) *Lib. 2. hist. Rom. cap. 3.*



ubi semel à recto deerra-  
tum est, in præceps per-  
venitur; nec quisquam  
sibi putat turpe, quod  
alii fuit fructuosum.  
Terrebunt sane hæc vestigia  
alios;

*Nam tua res agitur, paries cum  
proximus ardet:  
Et neglecta solent incendia su-  
mere vires.*

Nemo ergò nisi Suffenus Da-  
nicus Defensor, svaserit An-  
haltinorum Principi, ut occa-  
sionem agendi res suas, Neo-  
magi optatò sibi ostentatam,  
segniter dimitteret; In præsen-  
tissimam totius Illustrissimæ fa-  
milix perniciem, & inevitabile  
sui apud posteros probrum.

Ne.



Necessitas igitur durum te-  
lum hic expressit vocem, injuria  
autem facta nemini; quippe cu-  
jus infimulari nequit, qui jure  
suo utitur. (κ)

Sed missis præludiis arcem i-  
psam ingrediar, & singula me-  
morialis Anhaltinæ epistolæ ca-  
pita accuratius percensebo, ea-  
demque à moribus latrantis  
Scriptoris breviter vindicabo.  
Ecce autem, quàm benè susti-  
neat Ille Danorum in ditionem  
Jeverensem Anno 1675. incur-  
sum inopinatum! Juris ullius  
hic

(κ) L. 3. §. 2. ff. de Lib.  
hom. exhib. adde Gail. Lib. 2.  
Obs. 106. n. 6. ubi ex L. 55. d. R.  
J. tradit, Eum, qui juris sui  
persequendi causa aliquid fa-  
cit, non presumi injuriari vo-  
luisse.



hic non meminit, omni scil. ejusdem adminiculo destitutus. Ad necessitatem provocat, aliosque hinc inde colores facto isti conquirere, vano conatu laborat. Quam tu verò necessitatem aestimare ac credere possis, quam ipse sibi quis imponit? Quæ in nostrâ potestate sunt, libere facere & omittere possumus; Sed aliunde veniunt, ad quæ nos adducit necessitas, quam ita comparatam esse oportet, ut asseverante Simonide, adversus eam ne Dii quidem pugnare audent. Si invasus Rex Daniæ, & pulsus finibus suis (quod tamen avertat Deus, & ne impotens fiat, ex animo apprecor) ad reparandas vires in alienam eamque contiguam provinciam secessisset, speciosus iste esset prætextus: Nunc, cum alienas potius debellare terras inten-

ten.



tenderit, & subjecerit sibi easdem, omnis necessitatis titulus in hospitatione militum reverenti penitus expirat. Quod si cuiquam belligerantium fingere sibi extremos casus esset integrum, nulla usquam regio ab alterius potentioris insultibus tuta sperabitur. Abhorruerunt verò abinde hætenus moratiores gentes.

In illos enim, qui extra bellum positi sunt, nullum jus bellicum statui, nulla vis usurpari potest. (λ) Et verò an ne quisquam illum credat necessitudinis casum, qui evitari potuit & decenter debuit? Equidem, qui de bello inferendo alteri cogitat & animum firmat, cum etiam de sumtibus, ad istud conficiendum

(λ) *Grot. de Jur. B. & P. Lib. 3. cap. 17.*



dum necessariis, maturè sollicitum esse oportet. Inprimis verò de stipendiis, de commeatu prospiciendum militibus est; ne hi veræ tum necessitatis telo adacti aliena invadant.

Nunquam se mihi purgabit Princeps, qui hîc officio deest. Omnia enim damna, detrimenta omnia, sive ad subditos suos, sive vicinam gentem, indignè inde redundantia refarcire cogitur. (u) Atqui, & si ex ipsius lege necessitudinis per copias bellum gestantis incommoda persenserit contigua regio, ea quoque ritè pensanda esse justitia efflagitat. (v) Ejus verò regu-

(u) *Grot. c. 1. lib. 3. cap. 17. §. 2. in fin. Petr. Pinsfeld. ad cap. 8. x. de injur. & damn. dat. Concl. 25.*

(v) *Id. Grot. lib. 2. c. 2. §. 7. seqq.*



regulæ in Anhaltinos Principes  
adeo servatæ non sunt, ut in-  
stantissimè quamvis & iteratis  
vicibus isti restitutionem sub-  
misso cultu exposcerent, tristem  
tamen subinde tulerint repul-  
sam.

Alendum fuisse pecu-  
liarem exercitum, eum  
hostium in contermi-  
nis Bremensi & Verden-  
si Ducatibus commo-  
rantium copiis oppo-  
nendum, istum verò non  
cepisse Oldenburgen-  
sem & Delmenhorstæ  
Comitatum, ingerit porrò  
Scriptor Danicus. Sed quid  
hoc ad Anhaltinos Principes?  
Quis unquam rectâ ratione præ-  
ditus

ti-  
e-  
u  
t;  
lo  
bit  
st.  
n-  
os,  
nè  
o-  
fi-  
ias  
da  
ca  
ti-  
erò  
gu-  
17.  
ad  
at.  
99.



ditus inde colliget, ergò vicina Jeverensis provincia, superfluas recipere copias Danicas jure fuit obligata? Inanes hi prætexus sunt & svavia fomnia, Et imò si præteritorum reminisci non pigeris, sine omni difficultate cognosces, mense Majo Ao. 1677. debellatum jam, ut cum Livio dicam, fuisse in Ducatibus istis, & tamen non cessaverunt Danorum contributiones. Hem qualis tum prætexus, Defensor Danice? Anne & tunc duravit necessitas, cum Rex Danorum hyberna Episcopo Monasteriensi cederet postea? Cum illius autoritate hic de novo Jeverensem ditionem militibus compleret? Credat Judæus appella! Enimverò rimemur modò æquitatis fundamenta curatius, & oppidò se injustitia prodet. In vulgus notum est, regiones per  
belli-



belligerantium manus occupa-  
 tas Populi ac Principis esse, qui  
 bellum gerit. (ξ) Qvi igitur  
 fructuum emolumenta ex eo  
 percipit, eum etiam detrimenta  
 istius ferre teneri, omnis juris ra-  
 tio dicitur. Nec desiderave-  
 rit quispiam cum damno alte-  
 rius locupletari (ο) cum male  
 parta nihil profint & dilabantur  
 illico. Sed elegans tamen ju-  
 stitiæ fulcrum est, cui innititur  
 Danicus Scriptor. Adhibi-  
 tam nempe in censen-  
 dis Anhaltini Principis  
 subditis æqvalem pro-  
 portionem, ut regii sub-  
 diti

(ξ) *Grot. l. 3. c. 6. §. 10. Jung.  
 §. 17. Inst. d. R. D.*

(ο) *L. 14. de Cond. Indeb. L.  
 206. de R. J.*



diti vel tantillum ipsis non prævaluerint. Ehem inſigne Anhaltinæ Domus ſolatium! Quid enim proderit ipſi non habere, quàm regii ſunt, ditiores ſubditos, vel iſtos æquè argento eſſe emunctos? Exiguum eſt levamentum, quod in communi miſeriâ ponitur, præfertim ſi in hanc nec ex culpâ nec ulla obligatione incideris. Age verò, admittamus æquilibrium in hoc articulo rationem, tum verò Anhaltinos Principes participare regiæ fortis in acqvirendâ felicitate fas erit. Anne verò tu credere poſſis, ex tot regionibus, inſulis, urbibus ac caſtellis in poteſtatem Danorum redactis, ex tot commodis perceptis vel tantillum hoſce Anhaltinis communicaturos? Id potius acerbè dolendum, pre-  
mere



mere optimos Principes æs alienum ingens, quod propter subditorum inopiam tributis exsolvendis contrahere habuerunt necesse. Et ut plura paucis complectar, elumbe admodum à subditis propriis ad alienos, in quos nihil juris alteri competit, ducitur argumentum.

Quando Autor Danicus injicit porro, Augustissimo Regi gratà mente acceptum referendum, quod expetitis terra marique armis, proximos quosque hostiles impetus à Romano Imperio tam felici successu fuerit amolitus, nihil prorsus agit.

Magno

11011



Magno etenim tædio pecuniæ  
 ingenti summa comparatur,  
 quod quis gratis hætenus te-  
 nuit. Nunc verò quis vim in-  
 tulit ditioni Jeverensi, vel mina-  
 tus saltem eidem fuit? Omnia  
 istic loci pacata & quieta, donec  
 miles Danicus ingrueret & satis  
 licentiosè ageret. Tum verò  
 quietem reddidit Danorum Rex  
 Potentiss. pro pretio; sed quam  
 antea sine causâ turbaverant  
 Ipsius missæ copiæ. Sibi ergò  
 hoc ipso profuit, non aliis præ-  
 stitit beneficium. Illud verò  
 valdè demiror, quòd de impetu  
 Monasteriensium in terram Je-  
 verensem mense Majo An. 1677.  
 factò & per totius æstatis ac au-  
 tumni ferè spatium continuato  
 nihil adeò memoret Scriptor no-  
 ster: interim studio fortè id præ-  
 teriisse ipsum dixeris, cum in so-  
 litam istam hybernorum cessio-  
 nem







currere obstructus. Ad-  
 hæc non permisisse Da-  
 nis foedere junctos ea,  
 quibus ad exercitus sui  
 sustentationem indigu-  
 erint, ex Bremensi &  
 Verdenſi Ducatibus ad-  
 vehere. Nam primùm Je-  
 verenſis terra non Imperii feu-  
 dum eſt, adeoque nec Domini  
 ejuſdem Anhaltini Principes eo  
 intuitu immediati ſtatus. Tum  
 deinde non immunes à commu-  
 nibus iſtis imperii oneribus fue-  
 re Anhaltini Principes; Sed  
 immenſas ob Anhaltinam quo-  
 que Terram tulerunt contribu-  
 tiones, quarum etiam non exi-  
 gua ſumma adhuc penſitanda  
 reſtat. Et hiſce quidem ſuo  
 modo & ex Imperii Legibus ob-  
 noxios





noxios illos esse, ambabus largior  
manibus, sed id strenuè nego,  
quod ullus ex Imperii Ordinibus  
propriâ autoritate exigere â So-  
ciis Statibus tributum, nedum  
armatâ manu exprimere, queat.

( ρ ) Loqvuntur sanè pragma-  
ticæ Imperii sanctiones & fir-  
mat Transactio Caroli V. cum  
Imperio inita, ( σ ) testantur de-  
niqve clementissimæ Imperato-  
ris moderni ad Sereniss. Anhal-  
tinorum Principem datæ literæ,  
regiones & provincias Circulum

C 2

Bur-

( ρ ) *Vid. Die Execut. Ord. N.  
de Anno 1522. tit. 8. § 23. Recess.  
Imp. Ratisb. de Anno 1555. §.  
60. Item Spira de Anno 1570. §.  
19. § seq. Ratisbon. de Anno  
1641. §. 38.*

( σ ) *Vid. eandem Transact.  
Aug. Vindel. d. an. 1548.*

Ad-  
Da-  
ea,  
fui  
gu-  
&  
ad-  
n Je-  
feu-  
mini  
es eo  
Tum  
mmu-  
s fue-  
Sed  
a quo  
tribu-  
on exi-  
itanda  
n suo  
us ob-  
noxios



Burgundicum intrantes Imperii oneribus penitus esse exemptas. Unde porro fuit, ab eislem ne quidem ipsum Imperium directò collectas jure efflagitare posse. Præter hæc docent Investituræ, quam dicunt, nec non summi in belgio Præfecti literæ, (τ) Jeverensem Ditionem Brabanticum beneficium esse effectum, Ducatum hunc tractui Burgundico esse incorporatum. Indubium ergò manet, Imperium Romanum in istam terram, utpotè palam exemptam, nihil

(τ) *Videantur Literæ Isabelle Clare Eugenie Archiducis Austriae ad Imper Ferd. II. d. 21. Octobr. Anno 1629. item Ducis Albani ad Cameram Spir, d. 28. Mart. An. 1569, data.*



nihil juris rectâ viâ exercere posse. (v) Numeres jam nāvos Danorum, Amice perdilectæ, & tres in hoc articulo illico se dabunt ad manum: Subitaria in Jeveram invasio, indicta ex propriâ autoritate contributio, & enormis ejusdem excessus.

De cætero istorum Principum, quibus cum societatem coivit potentissimus Daniæ Rex, facta Anhaltinos Principes penitus non tangunt: pone illos istius exercitui negasse

C 3. vitæ

(v) *In exemptos enim nihil juris immediati Imperio competit. Vid. Recess. Imper. Aug. Vindel. de Anno 1548. §. 52. seqq. Reinking. de Regim. Secul. & Eccl. L. 1. Cl. 2. c. 9. n. 119. Nicol. Mylerus de Princip. & Stat. Imp. c. 99.*

mpem-  
xem-  
beis-  
rium  
gitare  
Inve-  
non  
iteræ,  
Bra-  
effe-  
actui  
tum.  
Impe-  
ter-  
ptam,  
nihil

sabel-  
iducis  
d. 21.  
Ducis  
d. 28.



vitæ subsidia , hi fanè ad ea-  
dem præstanda hautqvaqvam  
inde fuere obligati. Nemo  
enim pro alterius debito sine  
promissione sua tenetur , nec  
quod unus ex Imperii ordini-  
bus promisit , alterum adimple-  
re debere , fas putatur. (  $\Phi$  )  
Tum verò Jeverensis terræ pos-  
sessionem longa annorum serie,  
à Comitibus Oldenburgicis  
continuata, Danorum verò  
Regum auspiciis ac autoritate  
fuisse stabilitam, speciosius ja-  
ctatur, quàm veriùs. Nemo  
enim , fide annalium suffra-  
gante, ex Comitibus Olden-  
burgicis, quàm Johannes 16. &  
Anto-

(  $\Phi$  ) *L. un. Cod. Ut. null. ex  
Vican. pro ali. vic. Perez. in  
Comm. ad h. t. pr.*



Antonius Güntherus , rerum  
 in ditione Jeverensi sunt po-  
 titi. Causam possidendi Iis-  
 dem dedit Mariæ Dominæ i-  
 stius , ex Wineckeniorum pro-  
 sapiâ oriundæ , testamentum .  
 Hæc ipsa cum hereditario jure  
 terram istam teneret , à Carolo  
 eam Quinto Imperatore , tan-  
 quam beneficium agnoscere  
 maluit. Fidem ergò eo no-  
 mine Ipsi dedit & ab eodem  
 recepit. Quæ omnia prolixam  
 suppeditare historiam possent ,  
 quam enarrare tamen in præ-  
 sens meritò supersedeo. Illud  
 saltem adhuc monendus es , a-  
 micissime fautor , Mariam i-  
 stam perillustrem ultima vo-  
 luntate suâ jussisse , ut Comes  
 Oldenburg. Johannes 16. &  
 sublati ex eo tam fœminini  
 quam masculini sexus liberi in  
 Jeverensi ditione succederent.

ea-  
 vam  
 emo  
 ine  
 nec  
 dini-  
 nple-  
 (Φ)  
 pos-  
 ferie,  
 gicis  
 verò  
 tate  
 is ja-  
 Nemo  
 uffra-  
 lden-  
 16. &  
 Anto-  
 ull. ex  
 z. in





Denatâ autem Mariâ ista illustri, quæ primum Jeveram beneficiariam reddiderat, tabulis ultimæ ejusdem voluntatis innixus, regionis istius possessionem indeptus est Comes Johannes Sextus Decimus, eamque tenuit pacatam. Postmodum & ipse vitâ absolutus Anthonium Güntherum unigenitum filium suum heredem reliquit, qui Imperium Patris suscepit & per diuturnum temporis spacium eidem felicissimè præfuit. Nec memini ullius controversiæ five illi five huic motæ. Comitum enim, quos Frisia Orientalis alit, injecta, lis post obitum statim Mariæ illustris in Bruxellensi Curiâ agitata, ventilata, definita; Nihil cooperante vel ullibi, Comitibus Oldenburgensibus patrocinante Danorum Rege. Ut hinc



hinc successor ne ansam quidem inde sumere sibi queat, per effrenatam tributorum exactionem ferum nimis præmium repetendi. Pone etiam Regem Daniæ, tum temporis causæ Oldenburgensi velificatum, numne armata manu extorquere remunerationem fas erat? Num affligere inde cognatum, desuper nunquam admonitum? Sed enim in testamento Illustriss. Anthonii Güntheri Regiam familiam Ducali Anhaltino Servestanæ in successione Jeverensis terræ substitutam, non ergò alii quàm Regi Daniæ competiisse jus fruendi

C 5 in-

illu-  
be-  
abu-  
tatis  
pos-  
mes  
nus,  
Post-  
utus  
uni-  
dem  
atris  
tem-  
ssimè  
allius  
huic  
quos  
ecta  
Mariæ  
riâ a-  
; Ni-  
, Co-  
is pa-  
e. Ut  
hinc



inhospitationū & Contributionum commodis, porro arguit Scriptor Danicus. Stet prior ista sententia & tanquam verissima obtineat. Sed, nisi valdè fallor, ille ipse Auctor ita proprio se jugulat gladio. Quem enim, qui primis modo labris Jurisprudentiæ sacra delibavit, latet quæso, quod instituti heredis potior sit ratio, quam substituti? Illum enim longè magis, quam hunc, dilexit Testator: quippe quem planè voluit exclusum, quamdiu iste fuerit superstes. Expectare ergò, non antevertere jus suum substitutum condecet, si eodem olim frui velit. Excidit enim testamenti commodo, quisquis istud evertere fuerit adortus, vel voluntati testatoris morem

ge-



gerere recuset (x) Ast quan-  
doquidem Testamenti istius  
mentionem injicit Defensor,  
omittere ipsum non oportet  
bat salutarem clausulam, ei-  
dem annexam, quâ Reges Da-  
niæ tueri debere Jeverenses  
Dominos, si hi expetant,  
præclare est cautum. Hem e-  
gregiam defensionem! Quæ  
tutari debebant Dani ab alio-  
rum invasione, ipsi aggrediun-  
tur injuria. Ita verò voluntas O-  
ptimi Comitis palam proculca-  
tur, & quæ in favorem Iste  
Anhaltinæ Domus ordinavit  
in Testamento, in odium e-  
jusdem apertissimè retorquen-  
tur. Porro inhospitatio-  
ni & contributionis Viæ

C 6 per

(x) L. 8. §. 14. ff. de inoff. te-  
stam.

on-  
dis,  
nicus.  
tan-  
Sed,  
Au-  
glä-  
rimis  
entia  
væfo,  
ior,  
? Il-  
quàm  
qvip-  
exclu-  
it fu-  
, non  
stitu-  
olim  
testa-  
vis i-  
ortus,  
morem  
ge-





per actum possessorium  
 arreptæ ut porrò inhæ-  
 reret Rex Daniae poten-  
 tissim. seqvente anno  
 supervenientes & in Re-  
 gem collatas Cæsaris  
 assignationes effecisse,  
 vane gloriatur miser Epistolo-  
 graphus. Nam quis unquam  
 possessionis axioma, per repen-  
 tinam & nocivam obtinuit in-  
 vasionem, cui omnibus se mo-  
 dis opposuit possessor? A-  
 ctum fanè controversum, &  
 de quo statim aliquis questus  
 est, ad sustinendam possessio-  
 nem nihil proficere, Jurispru-  
 dentes passim tradunt. Idque  
 thema communissimum gen-  
 tium moribus ubiqve terrarum  
 videas approbatum. Et si in

con-



contrarium abire velles , rapi-  
nis & injuriis fenestras iniquis-  
simè aperies. Eja sic exuere  
togam Scriptori Danico & re-  
petenti actum possessorium ob-  
vertere possem! Verum dubi-  
to, quod tacuerit ipse ad ejus-  
modi nefas, quin potius vitio-  
sam istam possessionem, & a-  
cerbissimam vexationem perpe-  
tratam esse, plenis buccis pro-  
clamaverit. Et enim ingen-  
tes præsertim vires Reges &  
Archi-Principes circumstant,  
adeò, ut si ipsi sibi consentiant,  
nihil nimium ipsis, nihil im-  
pervium sit: sed pietate, sed  
religionum amore retinentur,  
quò nesciant posse, quod pos-  
se non debent.

Interim non abnuo, Bur-  
gundicum Circulum contribu-  
tionis oneri esse obstrictum.  
Dictante enim grandi Imperii



censuali libro , quem matricu-  
 lam nominant , tantum ista in-  
 fert tributi , quantum Electo-  
 res duo. Sed illud saltem te-  
 neo ac assero , ditiones tractui  
 Burgundico subjectas ab Impe-  
 rio collectis gravari non posse.  
 Et hæc tributi exigendi via pa-  
 ctis evidentissimis firmata est.  
 Quæ cum aulæ Cæsareæ ab Hi-  
 spanicis Legatis in memoriam  
 deinceps revocarentur , ipsa-  
 met exemptionem falsa & ex  
 errore quodam ( Danorum sci-  
 licet , si divinare licet , falsissi-  
 ma suggestione , ac si Jeveren-  
 sis ditio ad Oldenb. Comita-  
 tum pertineret , suborto ) impe-  
 ratorem directè istam ditionem  
 Danorum Regi adsignâsse , Im-  
 posterum verò jure suo usu-  
 ram , literis ad ipsum Princi-  
 pem Anhaltinum missis conte-  
 stata abundantissimè est. Quâ

ve-



verò fronte negare Scriptor  
Danicus potest, a potentissimo  
Hispanorum Rege inhospita-  
tioni & contributioni Dano-  
rum unquam fuisse contradi-  
ctum? Callida certe hæc dissi-  
mulatio est. Neque enim cre-  
didero facilis, occulta Aulæ  
Danicæ esse, quæ palam in hoc  
articulo egerunt Hispani.

Prostant illustrissimi Ducis  
de Villa Hermosa ad excellen-  
tiss. Hispanicum Legatum exa-  
ratae literæ, (ψ) prostant & alia  
hanc in rem documenta, quæ  
decurrere in præsens propositi  
ratio non admittit.

Sed enim nunquam vel æ-  
grè saltem tulit Hispaniæ Rex,  
Episcopum Monasteriensem  
pro compensatione quorun-  
dam

(ψ) *Sub dato die 31. May.*  
*an. 1677.*



quorundam militum Danis ibidem surrogatum fuisse. Bellum assertum, modò etiam veritati esset congruum. Nunc verò reclamant literæ modò laudati Ducis, reclamant memoriales libelli Viennæ eo nomine oblâti. Et ipse effectus postea infecutus hic causam suam arguit. Excusavit enim clementissimè Inviçtiss. Imperator, Anhaltino Principi contributiones Danico-Monasterienses de anno 1677. & 1678. tanquam metu majoris mali elicitas. Dehortatus prætereà rescripto quodam Episcopum Monasteriensem anno 1677. ut cœpto desisteret. In quo ultimo impetrando non proletariam operam Hispani simul præstitere. Tum deinde ex istis literis & Imperatoris admonitione, qualis fuerit Ipsius, quem



quem tam valdè Danicus Scri-  
ptor jaçtat, confensus abundè  
patefcit. Urget autor, qvòd  
placidè Eifcopus ifte cum  
Jeverenfibus Subditis e-  
gerit æftivis etiam men-  
fibus tributorum portio-  
nem acceptans, ne hy-  
berno ifta tempore nimis  
aggravefcerent. Innue-  
re ferè voluit Author, Con-  
tributiones iftas non adeò gra-  
ves fuiſſe Jeverenfibus ſubditis,  
& mitius in iisdem cogendis  
cum ipſis fuiſſe actum. At ve-  
rò nemo, cui reditus Jeveren-  
fis ditionis noti ſunt, ad mo-  
dicum interpretabitur tribu-  
tum, qvòd eadem per trienni-  
curſum 3000. Joachimicos ſin-  
gulis menſibus pependerit.  
Ipfæ

is i-  
Bel-  
n ve-  
Nunc  
modò  
me-  
no-  
ectus  
am  
enim  
pera-  
con-  
aſte-  
1678.  
ali e-  
tereà  
pum  
7. ut  
ulti-  
leta-  
imul  
ex i-  
ad-  
ofius,  
qvem



Ipsa quidem aliàs non fecus ac  
 unus vel alter Circuli Westpha-  
 li Baronatus 28. florenos ærario  
 Imperii inferendos pro simpla-  
 ria contributione exsolvit.  
 Quod si verò majorem istam  
 summam tibi capias, rite cum  
 ista minori conferas & calcu-  
 lum ducas deinceps, en! ultra  
 650. pensiones, Romanos men-  
 ses quos vocant, quotannis i-  
 sti præstiterè subditi. Quæ fors  
 durior an ulli Imperii Ordini  
 hæctenus contigerit, vix asse-  
 rere auserim. Dehinc constat  
 mihi ex Præfectorum Jeveren-  
 sium rationibus, Sereniss. An-  
 haltinorum Principi redditis,  
 immensam argenti summam,  
 ex ærario ipsius pro subditis  
 solutam, hosque eidem ultra  
 50000. taleros debere. Ut hinc  
 facilè subditorum facultates  
 non suffecisse tributis istis  
 ex-



exfolvendis , tecum judicare  
valeas.

Succedit jam in partes alterum Epistolæ punctum, quo Autor damna prædiis Budjandienfibus, Domus Anhaltino-Serveftanæ propriis, illata propugnare fatagit. Quod cum breviter ipfe percurrat, ego etiam fuccinctè quod res eft, dicam. Sive verò in aulâ Danica pro hæreditariis bonis ifta æftimentur, five minus, id rei veritati derogabit parum. Ea tamen non feudalialia fed allodialia effe, testantur qvatuor iftæ Transactiones, qvarum fupramemini, ipfum quoqve Oldenburgense fatis decantatum testamentum, id loqvitur apertius. Quod ipfum cum femel agnoverit & approbaverit Regia Domus Danica, quo jure jam iftud repudiare hæc valeat, non fatis mecum  
exco-



excogito. (ω) Cæterum patrimonialia Principum bona, qualia & hæc sunt, à Collectis tam solennibus ac consuetis quàm insolitis esse immunia, non deducam prolixè. Cautum enim hoc civilibus legibus (a) & constitutionibus Imperii confirmatum est. (b) Taceo Nobilium, Cle-

(ω) *Per agnitionem scil. ultime voluntatis qs. contrahitur. §. 5. 7. de Oblig. quæ ex qs. Contr. Jam contractus etiam successores obligant.*

(a) *L. 10. L. 15. C. de Excusat. mun. L. 1. C. de Privileg. Dom. Aug.*

(b) *Rec. Imp. Spir. de Anno 1544. §. 10. Reg. Sixtin. de Regal. l. 2. c. 14. n. 129. Reinking. de Reg. Sec. & Eccl. L. 1. Cl. 5. cap. 4. n. 212. seqq.*



Clericorum aliorumque bona ubique locorum iisdem immunitatis gaudere privilegiis, quæ omnia tamen Principalibus anteponet nemo.

Grande verò postulatum, grandis temeritas Scriptoris Danici est, quod adstruere non vereatur, Regem quovis tempore & solidè probaturum esse, Budjadingensem terram cum prædictâ Jeveranâ Dynastiâ, ad Oldenburgensem Comitatum & quæ huic connectuntur, pertinere, ita ut inde separari nec possit nec debeat. Eccur verò non producit in lucem ostensiones suas gloriosus Scri-

tri-  
va-  
tam  
am  
de-  
nim  
on-  
ma-  
um,  
Cle-  
ul-  
tur.  
ontr.  
ores  
xcu-  
ileg.  
Anno  
egal.  
g. de  
cap.





Scriptor? Non satis sincerè agit, quod solidas istas & omnium horarum probationes tamdiu orbi terrarum subducit, præsertim cum se easdem exploratas habere, audacter profiteatur. Non possum ullam mecum statuere causam, cur non saltem summo digito easdem attigerit. Fallor igitur, aut fabrica atque fallacia est, quam hic fingit astutus. Omnibus scilicet probandi adminiculis destitutus vaferrius simulat, ac si instructus esset, quam firmissimis: Fucum simplicioribus facturus, ac eisdem, abstrusissima & secretiora demonstrationum ardua persuasurus. Qui quidem mos & Oratorum & Politicorum potissimum hodiernorum de causæ meritis, ut ita loquar, desperantium proprius atque perpetuus est, prudentiores tamen nunquam inescabit. Sanè



Sanè cui hæc fraus non subolet,  
 ex pituita gravissimè laborave-  
 rit. Nec verò expavescent ad  
 ejusmodi probationes Anhalti-  
 norum Principes, qui tot trans-  
 actiones, testamentum, ejus-  
 que agnitionem jure subruï non  
 posse, exploratum satis habent.  
 Ad ultimum non possum, quin  
 detester hic procedendi ratio-  
 nem à Danis usurpatam. In-  
 trarunt enim ante alterius Prin-  
 cipis regionem, non admissi  
 egerunt tributum insolens, jam  
 in conqvirendis causæ suæ ratio-  
 nibus defudant. Nonne hoc  
 præcedere, quam ipsi fecere,  
 executionem oportebat? Indi-  
 cium sanè injustitiæ est, aufer-  
 re quippiam oppidò & instrue-  
 re deinceps causam. Ego ve-  
 rò precor Anhaltinæ Domui  
 illustrissimæ, ut tamdiu Jeve-  
 rensem terram, tamdiu Bud-  
 jadien-



jadiensia bona feliciter teneat, donec validissimas probationes pro se recitaverit & decenter everterit Anhaltina momenta Daniae propugnator. Eveniet enim hoc nunquam nisi ad Calendas Graecas. Tandem telonii reditus Visurgici quod attinet, ne verbum quidem ad ficulnea Scriptoris nostri argumenta reponere haberem necesse. Ad haec enim deveniendum tum demum erit, cum Princeps Anhaltinus pristino jure erit restitutus. Participasse hunc reditus istos in aprico est, & involasse eosdem Danos, non negavit istius gentis Defensor. Quid ergo restat, quam ut spoliatus restituatur ante omnia? Equidem si justitia stetit vel maximè pro Danis corrupisse tamen hos eandem vi, & liquida omnia perdidisse faci-

facile  
 tamen  
 cis er  
 tos p  
 tim  
 in D  
 nit,  
 Etiga  
 burg  
 Illu  
 den  
 &  
 &  
 ma  
 van  
 spec  
 na  
 dan  
 dib  
 tibi



facile ipfemet judicabis. Ne  
 tamen & hic Tibi defim, pau-  
 cis etiam discutiam inanes alla-  
 tos prætextus. In limine sta-  
 tim multum Defensor fiducia  
 in Diplomate Cæfareo sibi po-  
 nit, quod ad ftabiliendum ve-  
 tugal iftud à Comite Olden-  
 burgico olim fuit obtentum.  
 Illud nempe ad refun-  
 dandos, qui aggeribus  
 & cataractis reparandis  
 & contra inundationis  
 marisque æftus præfer-  
 vandis, Pharis etiam &  
 speculis paffim per flumi-  
 na construendis, impen-  
 dantur quotannis incre-  
 dibiles fumptus, Comi-  
 tibus Oldenburgensibus  
 D esse

t,  
 io-  
 en-  
 en-  
 ve-  
 nifi  
 lem  
 vod  
 n ad  
 ar-  
 ne-  
 ien-  
 cum  
 tino  
 paf-  
 orico  
 nos,  
 De-  
 vâm  
 nte  
 itia  
 anis  
 em  
 diffe  
 faci-





esse concessum. Nemi-  
 nem ergò privilegio isti ipso-  
 rum Comitatus perpetuò inhæ-  
 rente & quasi incorporato, e-  
 jusque reatibus, præter Co-  
 mites ipsos, gaudere vel per-  
 frui posse. Jam notum in vul-  
 gus esse, quod Comitatus iste  
 potentiss. Danorum cesserit Re-  
 gi. Bene hæc quidem se habe-  
 rent, modò veritati essent con-  
 sona. At verò reclamant Di-  
 plomatis Cæsarei verba, ipsa  
 ejus voluntas ac intentio in  
 contrarium planè abiit. In il-  
 lo enim disertè scriptum repe-  
 ritur, quod Comites Ol-  
 denburgici ET DOMI-  
 NI JEVERENSES istud  
 telonii Jus, tanquam be-  
 neficium hæreditarium,  
 ab

ab  
 rio  
 pe  
 be  
 con  
 ves  
 lite  
 om  
 Tu  
 con  
 Do  
 dan  
 Jha  
 ori  
 res  
 ja  
 Q  
 ces  
 an



ab Imperatore & Imperio ferre, possidere & in perpetuum retinere debeant. Fœdissimum ergo commentum est, quod in Investituræ hujus, quam vocant, literis Illi solum nominati, hi omitti sint & plane exclusi. (c) Tum verò voluntas quoque concedentis Cæsaris succurrit Dominis Jeverensibus abundantissimè. Videas enim ad Jhadam, videas circa paludes orificii Visurgici multos aggeres extructos, ingentes moles jactas ab Jeverensibus subditis. Quæ eqvidem non minus, D 3 quam

(c) Vid. ipsum Diploma Concessionis Ferdinandi II. Imper. an. 1623. exaratum.



quam in Pharo ignis Wange-  
 roëensis Insulæ, magnis sum-  
 ptibus quotannis fartæque  
 tectæque præstandæ veniunt.  
 Quidnî ergò & ad hos sumptus  
 pensandos institutum dicetur  
 telonium Visurgicum? Quod  
 vel eò magis statuendum erit,  
 quoniam ignem istum præ-  
 cipuum habet alitque Jeve-  
 rensis Ditio. Vides ergò, A-  
 mice, quod verè & salubriter  
 æstimanti fidem eorum, quæ in  
 medium attulit animosus Scri-  
 ptor, vana profectò & inania,  
 appareant. Ut verò eò soli-  
 dius rem omnem imbibas, pro  
 certo & indubitato teneas, Te-  
 lonium Visurgicum non bene-  
 ficium vetustum & successionis  
 jure ad Oldenb. Comites devo-  
 lutum, sed, ut cum peritis ar-  
 tis loquar, feudum ex pacto &  
 providentiâ esse, & Antonium  
 Gün-



Güntherum Comitem Oldenb.  
 p. m. anno 1623, istud primū  
 acquisivisse. Atque sicut hoc i-  
 pfum superius, memoratæ lite-  
 ræ expressissimè contestantur:  
 Ita facile percipies eundem Co-  
 mitem istud tanquam hæredi-  
 tarium alienare, & inde vel  
 maximè ultima voluntate, quæ  
 hic iterum evolvenda est, de  
 eodem disponere potuisse. (d)  
 Quò verò sui securior esset hac  
 parte Comes iste prudentissi-  
 mus, ecce! ex superfluo quasi  
 majoris roboris conciliandi,  
 facultatem istam liberrimè de  
 telonio Visurgico testandi &  
 ab Imperatore invictissimo, &  
 à Potentissimo Danorum Rege

D 3 am

(d) Rosenthal de feud. cap.  
 2. Concl. 36. Gall. Lib. 1. Observ.  
 154. n. ult. Struv. Synt. Jur. feud.  
 cap. 4. §. 13.

ge-  
 am-  
 que  
 ant.  
 otus  
 etur  
 vod  
 erit,  
 præ-  
 eve-  
 A-  
 riter  
 væ in  
 Scri-  
 nia,  
 foli-  
 pro  
 Te-  
 bene-  
 ionis  
 devo-  
 is ar-  
 eto &  
 nium  
 Gün-





amplissimè est consecutus.  
 Quamvis ergo contra rei veri-  
 tatem ponere velles, telonium  
 Visurgicum beneficium anti-  
 quum esse; tamen & hoc per-  
 mittente Domino, & agnatis  
 suffragantibus liberè quocum-  
 que modo alienari posse, non  
 dememinisse oportebat. Jure  
 enim feudali ita cautum, at-  
 que ubique locorum receptum  
 est. Quocunque ergo se ver-  
 tat Defensor Danicus, captus  
 est, habet. Nam & quic-  
 quid modo profert, vel fictum  
 plane, vel Juribus & pollicita-  
 tioni Majorum directe adver-  
 satur, vel tectos redolet dolos.  
 Quibus inductus etiam Co-  
 mitis Illustriss. Antonii Gün-  
 theri Codicillos & transactio-  
 nem Oldenburgi anno 1669. i-  
 nitam, planè reticuit, ex qui-  
 bus Anhaltinorum Principum  
 jura



jura tamen , splendidissimè in  
hoc Articulo elucescunt.  
Fraudis ergò indubiè est con-  
victus , vel nunquam mihi ex-  
cusabit ignorantiam crassam  
eorum , quæ non Aulæ tan-  
tum Danicæ , sed toti orbi Ro-  
mano sunt per-quàm manife-  
sta. Quinimo temeritatis  
turpem contrahit notam , quod  
sentire de negotiis sublimissi-  
mis præsumpserit , quorum  
incunabula & adeò rudimenta  
ipsum fallunt.

Tandem denique illud ad-  
huc monendus es , Amice sva-  
rissime , sententiam , quæ suc-  
cessionis Oldenburgicæ lis ulti-  
mo definita est , cujus hic me-  
minit Autor , de bonis Feu-  
dalibus expressissimè esse conce-  
ptam. Successionem enim  
in Comitatus Oldenburg. &

tus.  
eri-  
um  
nti-  
per-  
atis  
um-  
on  
Jure  
at-  
tum  
ver-  
ptus  
vic-  
tum  
cita-  
ver-  
olos.  
Co-  
Gün-  
Etio-  
69. i-  
qui-  
ipum  
jura



Delmenhorstanum, tanquam  
 feuda antiqua, continet, à qui-  
 bus bona allodialia & telonium,  
 Visurgicum, Beneficium planè  
 recens, immane quantum ab-  
 horrent. Et verò harum re-  
 rum controversiam non fecit,  
 Serenissim. Plönensis Domus,  
 neque ergò sententiã postea,  
 fecutã eadem comprehensa,  
 credideris; Quippe quæ cla-  
 rissimis potius verbis in eadem  
 reperiuntur excepta. Nam &  
 Rendesburgensis transactio,  
 quoad feuda ista antiqua sal-  
 tem, in nihilum redacta est.  
 In reliquis ergò eadem omni-  
 nò firma manebit. Neque e-  
 nim salubriter acta vitium fa-  
 ciunt ex iis, quæ inutiliter fue-  
 re adjecta. Cum ergò Sere-  
 niss. Ducum Plönensium ex  
 Decreto memoratò acquisitum  
 jus antiqua ista feuda, ut ita  
 loquar, concernat, allodialia  
 verò



vero bona non ingrediatur; cessio ejusdem Potentiss. Danorum Regi facta, intra eosdem cancellos coërceri debet. Non potest scilicet plus juris quispiam in alterum transferre, quàm habuit ipse. Fluit hinc & recta adeò suggerit ratio, quicquid in illa Rendesburgensi aliisque de rebus allodialibus initis transactionibus conventum olim exfertè fuit, sanctissimè adhuc esse custodiendum. Enimverò religioni cuilibet fuerit, conventionem à se aut Majoribus suis, quibus successit, deliberato animo initam, ex novo deinceps superveniente sibi Jure infringere. Æquè si quidem prohibitum est facto proprio contravenire, ac ea, quæ à defuncto, in cujus locum quis intrat, ordinata ac



injuncta sunt, incuriosè negligere & præstare nolle.

Si JCtos hic consulere non graveris, illi exceptionem, quæ defuncto nocuit, Successori etiam obesse, & nullitatem obvertere non valere eum, qui ipsi prebuit ansam (e) disertè responderunt. Dum epilogum demum Epistolæ perlustravi, non potui mihi temperare, quin albis dentibus riserim extremum infortunati Defensoris Oldenburgici conatum. Dum enim inter iniquas Danorum turbationes & optimam Anhaltinorum Principum causam desti-

(e) *L. pen. C. de pact. L. 41. C. de transact. Conf. Joh. à Sande Decis. Frisic. lib. 2, Tit. 9, D. 17.*







fuiſſet nulla, iſtam etiam omiſſiſſet mitiſſimi ingenii Princeps. Cum verò iſta vehementer afflixerit & adhuc urat, non potuit. Huic verti vitio, quod in magno iſto Pacis contrahendæ Emporio remedium ipſe damnis datis quæſierit, Præterquam enim quod inſtitutum tale nuſpiam vetitum reperitur, Sacraſſimo etiam Imperatori non adverſum, ſed approbatum potius fuit. Nec amolientur hanc cauſam, Legati Splendidiffimi, quietis publicæ cauſa Neomagi comorantes, cum illa in plano ſit & ſinuofas iudiciorum ambages minimè expoſcat. Inſalutato Principe ingredi ipſius regionem & extorquere eidem aliquid, quod jure ſibi deberi quis exiſtimat, omnium Re-  
rum-



Rerumpublic. averfantur scita,  
 (f) Præprimis verò Imperii le-  
 ges severè interdicunt. (g)  
 Jam verò inopinatam in ditio-  
 ne Jeverensi inhospitationem,  
 injustas bonis patrimonialibus  
 Budiadiensibus impositas con-  
 tributiones & subitariam redi-  
 tuum telonii Visurgici ablatio-  
 nem ipse Defensor Danicus non  
 abnegat, sed variis saltem co-  
 lori-

(f) *Grot. de Jur. B. & P.*  
*Lib. I. Cap. 3. §. 1.*

(g) *Constit. Maximil. I.*  
*Imper. de ann. 1595. Worma-*  
*tie publ. item Ordin. Execut.*  
*Pac. publ. de ann. 1522. Instr.*  
*Pac. Monaster. cap. 17. §. 7. Re-*  
*cess. Imp. Ratisbon. de an. 1654.*  
*Capitul. Leopold. I. cap. 12.*  
*& 15.*



loribus facta ista purgare annititur. Res ergò facillimè decisæ sunt, nec tantus in iis componendis Legatis Splendidissimis accrescet labor, quem ipso-  
rum tempora recusent. Ego hinc potius credo & spero etiam, certissime fore, ut viri isti incomparabiles amore justitiæ simul adducti, quam libentissime antiquæ Anhaltino Servestanæ Domui hanc operam sint præstituri, nominis sui illustre decus præclare eo ipso adaucturi, quod & hanc litem feliciter aboleverint. Nam & potentiss. Daniæ Rex deprehensis istis erroribus melius jam informatus mitiora fortè an meditabitur, reddet aliena, & restituet damna data. Quod Super est, Amice conjunctissime, integrum Tibi relinquo, num velis tibi habere Confutatio-

tio  
mu  
ra  
ru  
qv  
be  
me  
me  
hu  
re  
en  
Pr  
D  
Ju  
&  
st  
ti  
o  
fe  
g  
fa  
m  
ta  
t



tionem hancce, an eã etiam com-  
 municare aliis? Cum enim ve-  
 ra ubique & ex Monumento-  
 rum fide liquida reddita sint,  
 quæ in illa inveniuntur, quili-  
 bet legat ac relegat; illud ta-  
 men persuasum habeas velim,  
 me, quamvis laceffitum, nec  
 huic nec alii Danico Scriptori  
 responfurum ulterius: Sufficiat  
 enim semel Anhaltinorum,  
 Principum contra Potentissim.  
 Danorum Regem competentia  
 Jura ad oculos demonstrasse,  
 & falsissima esse, quæ in Epi-  
 stola sua prætexuit suæ gen-  
 tis factis, audacissimus Autor,  
 omnibus palpantibus obtinuis-  
 se. Nosti animum meum pu-  
 gnis ejusmodi chartaceis, quæ  
 sæpius iteratæ in calumnias de-  
 mum abeunt & risum conci-  
 tant, non delectari. Et præ-  
 terea supervacaneum maximè  
 duco,



duco , in causa hacce Principum Anhaltinorum perspicua, fatis & luce meridiana clariori plura facere verba. Quod super est , vale & me amare perge.

Datum Calend. Junii An. 1679.



*Terent. in Andr. act. 1. scen. 1.*  
 Obsequium hoc tempore amicos, veritas odium parit.



X4 467

**ULB Halle**

3

004 654 560



5h

V. 5/17

M.C.









II, 31.



PISTOLÆ  
SECUNDÆ

AMICI AD AMICUM

à  
riptore quodam Danico  
aratae & sub ipsis Kalendis  
Febr. A. O. R. 1679. in Lucem  
editae

LIBITARIA QUIDEM  
SED SOLIDA CONFUTATIO

Qua Recepta.  
litera memoriales, nomine  
renissimi Anhaltino-Servestani  
incipis, Illustribus & Excellentissimis  
Legatis Mediatoribus Neo-Magæ  
22. Decembr. 1678. exhibitæ à mor-  
is istius Autoris, præclarè vindicantur,  
& Jura Anhaltina perspicuè  
sistuntur, ties inser-  
Bremâ - Neomagum.

ANNO M DC LXXIX.

